



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

LI. Das Nonnenkloster zu Prenzlau nimmt den Rath daselbst in die
Gemeinschaft seiner guten Werke auf, am 28. April 1322.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

LI. Das Nonnenkloster zu Prenzlau nimmt den Rath daselbst in die Gemeinschaft seiner guten Werke auf, am 28. April 1322.

Viris honestis laude dignissimis Dominis Consulibus Premflaw civitatis, Margareta Abbatissa, Margareta Priorissa totusque conventus Sanctimonialium nove ciuitatis jam predictae suarum oracionum incrementum cum assidua deprecatione ad Dominum Jesum Christum pro eisdem. Quia Christus Jesus veniens in hunc mundum genus humanum per prevaricationem primorum Parentum diabolice potestati subiectum sua passione redimere accepit, ut complevit, Exemplum in filios adoptionis post eius gloriosam ascensionem relinquens, ut quilibet sui exempli fidelis imitator propriis orationibus, Vigiliis adipisci non poterit et ieiuniis, ad ius operibus aliorum perfectius consequatur, ut in libro Machabeorum plenius continetur, ubi dicitur: vir fertilissimus Judas collatione facta et cetera, ubi sequitur: Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Et cum nemo sibi sufficit, sed alterius auxilio indiget, et ipse suffragio sublevetur; Hinc est, quod cum vos cognovimus nostre salutis terrene portum tutissimum, precipuos benefactores et post Deum refugium singulare, sub quorum umbra protectionis sicut pulli sub alis gallinarum fiduciam gerentes toto cordis desiderio Suspiramus sperantes, quod nobis adhuc Sicut prius pinguiora beneficia promotionis impendere debeatis, pro quo vobis nostra parvitas, devotio et humilitas bonorum temporalium condigna servicia nequit exhibere. Sed vestra prefulgens discretio omnium nostrorum operum spiritualium participationem, que Christus Jesus dominus noster per nos et successores nostros fieri disponit in vigiliis, in orationibus, in ieiuniis, in Castigationibus et in omnibus aliis operibus Deo gratum servitium speramus exhibere, acceptare nullatenus dedignetur, que etiam pre omnibus vobis et Affinibus vestris cunctis diebus nostris Deo altissimo et gloriose Dei genitrici ac toti celesti curie offeremus, Vos quoque recipientes in nostram fraternitatem, ut cum dies vestri obitus nobis fuerit nunciatus, vestras exequias, veluti nostrarum confororum et confratrum in vigiliis et in aliis oracionibus fideliter peragemus. Petentes vos nihilominus pro desiderio cordis cum affectu, ut hoc donum vestre benigna honestas animo recipiat letabundo, quod tanto magis rationem boni participat, et magis se placitum esse probat et caritatem nostram et sollicitudinem erga vestram honestatem arguit et ostendit, quanto postulacionem preveniens esse dinoscitur et voluntarie oblatum potius quam petitum. In cuius rei testimonium presens scriptum sigillo nostri conventus et munitum. Datum Anno domini Milleimo CCC. XXII., Feria quarta post dominicam, qua cantatur Misericordias.

Aus mehreren Copialbüchern, in denen jedem das Schreiben sehr fehlerhaft mitgetheilt ist.